



Univ. Bibl.
München

Universitätsbibliothek
München

2

CONCLUSJONES EX UNIVERSA PHI- LOSOPHIA,

QVAS
*IN ALMA CÆSAREA ET EPISCOPALI
UNIVERSITATE OLOMUCENSI SOCIETATIS
IESV*

SVB AVSPICIIS
REVERENDISSIMI ET
ILLUSTRISSIMI DOMINI DOMINI
JOANNIS CASPARI AB AMPRINGEN, ORDINIS
TEUTONICI EQVITIS, SERENISIMI PRINCIPIS AC DO-
mini Leopoldi Guilielmi, Archiducis Austricæ &c. Magni Teutonici Ordinis Magistri,
Consiliarij & Dominorum Freiūenthal & Eülenberg Administratoris.

PRÆSIDE
R. P. GEORGIO BEHM ^{OB} **SOCIETATIS**
IESU, ARTIUM LIBERALIUM ET PHILOSO-
phiæ Magistro, nec non ejusdem Facultatis in eadem
Universitate Professore Ordinario

Publicè Defendendas Suscepit

*ERVDITVS DOMINVS GEORGIVS HENRICVS
SCHINDLERAA. LL. ET PHIL. BACC. MORAVVS BRAVNSEIFFENSIS.*

Anno 1654 Mense Julio Die

OLOMUTII

In Officina Typographica Viti Henrici Etteli &c.

REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME DOMINE DOMINE, PATRONE COLENDISSIME.

Rodigij instar quondam habuit, magnus ille Romani Imperij vendex Constantinus, cœlitus sibi à Divinis Cœlestis palatijs Ephæbus signum Crucis contra hostes dimicaturo, hanc eum epigraphem, pralatum fuisse IN HOC SIGNO VINCES. Prodigij & ego instar habeo, Reverendissime & Illusterrissime Domine, Te solo meo patro, alterum veluti aulae Cœlestis illapsum pennigerum, & signi hujus latorem simul ac defensorem, per quam gloriosum esse destinatum. Signum projecto hoc Tuo in pectore invicta Virtus tue efformavit dextera posuit Honoris Majestas gloria, Gloria deniq; ipsa patro meo dicit venerandum solo. A cuius tuae Majestatis virtute, lucidissimi Carbuncolorum emanante radix, impunit zeli divino propagandæ flammæ ardentes & Sacrationis Glorie diffundendæ ignes plus quam iano succensi spiritu: quibus non ut olim Phænontico Orbis conflagret incendio, sed veluti novo Deucalio per Te, patria nostra redanimetur igne. Hoc Tua indefessa demonstrat gubernandi industria, & tua HOC SIGNO mellita prodit agendi affabilitas, quam mitioris inter Sapientia delibasti Gratias, in favorem Iustiniiano, per se veriores legum Pandectar, ad aliosmos honoris scientiæ apices euexisti: Subterius projecto, ut suspicari licet, praesidio nullo, quam Virtute SIGNI HUIUS, quam sub genuina hac fidei sera, qua reliquos Tuos inter Heros non semel conspicuus stetisti animose, dimicasti fortiter, gloriosè de stium triumphasti audacia. Patieris itaq; Reverendissime & Illusterrissime Domine, si his ego allectus virtutis tantæ radis, supplex ad voluare clementia tua, & è triennali non jam Olympici, sed Philosophici curriculo, bene merita Sapientie humana afferam spolia: fragrantia Daphnosophia (dicere debui) omata, quibus veluti Patri Patri fortissimo, Conseruatori prudentissimo, fidei Zelantis deniq; Phænicis Secundo in terris nostris, omne Secundo, etiam post secula victuro igniparum thalamum, non ignis alicuius tam Tuam Illusterrissimam perimentis, sed Amoris & Sapientie etiam post Secula reviviscens instruerem acrarium. Quocerca ex utraq; & heroe & Virtutis & germanæ Synceritatis tuae parte, hoc me erga observantia singularis anathema suffigo, sat illud illustri loco appensum arbitraturus, si mentem ad id inverteris Tuam, & hunc totiu Philosopha mea laborem, qui Parentum & Natalium meorum statuimus placidissima gubernationis tuae soritus sum clementia, benigno respxeris oculo, qui quidem quantò dignatus Tua est inferior excellentia, tanto in Virtute signi Tui ut majora in dies optatissimæ felicitatis suæ incrementa, submississime precatur, & fore penitus confidit

Reverendissimæ & Illusterrissimæ Dominationis tuae

Clientum minimus

Georgius Henricus Schindler Moravus
Braunseiffensis.

Univ. Bibl.
München



EX LOGICA

I. I.

Logica est Scientia practico-speculativa operationum mentis in ordine ad Syllogismum formalem directiva. Quare non uoces, non res, non deniq; rationis entia pro obiecto formaliter admittit. Sed neq; solus analyticus, verum etiam topicus Syllogismus rationem obiecti attributionis obtinet. 2. Celebri divisione Logicam in Docentem atq; Utentem partiuntur. Ea quamvis ad Scientias reliquas indipiscendas absolute quidem necessaria non sit, est tamen secundum quid prorsum necessaria: verum non nisi moralem & directivum ad ceterarum actus scientiarum, non vero physicum sibi vendicat influxum.

II.

1. **A**rtificium Syllogismi, cum is suæ definitionis jure actualem petere videatur illationis à præmissis dependentiam, præter tres actus involuit essentialiter unionem eorum ad Intellectum, nec non exigentias illas, quæ necessariò pro posteriori condurationem, & coubicationem præmissarum expostulant, ac deniq; decretum volentis DEI dependenter ab his præuisis ad illationem concurrere. Coubicationem vero & ipsam actuum condurationem non requirit. 2. Res inter positivas rerumq; distinctionem, distinctionem non reperimus. Scotisticam vero quorundam unà cum præcisionibus obiectivis non agnoscimus, sola formaliter præcisione contenti.

III.

1. **U**niversale Logicum aliud, aliud Metaphysicum. Hoc alias in essendo nuncupatum actu fit confuso præscidente, illud actu insuper postulat comparativum, atq; adeo in actuali prædicatione illam, quam in essendo habuit, perdit Universalitatem. Porro nemo extra Intellectum Universalia reperturus est, non ideas Platonicas, non naturas Scotisticas, uti à quibusdam explicantur, non similitudinariæ, Universales. 2. Quinas prædicabilium species à Porphyrio recensitas admittimus. Genus est, quod de pluribus specie differentibus in quid incompletè aptum est prædicari.

B

cari. Obtinet rationem partis & totius respectu speciei. Non prædicatur immediatè de individuis completis, sic verò de incompletis. Frustra negatur ratio communis ab individuis abstrahi posse.

IV.

1. **S**pecies id est, quod de pluribus solo numero differentibus in quid completem prædicatur. Datur species subiectibilis, quæ non sit prædicabilis. & vicissim hæc sine illa. Differentia est, quæ de pluribus specie vel numero differentibus in quale quid prædicatur. Proprium verò, ut ad quartum prædicabile spectat, est tantum prædicatum illud, quod profluit ex essentia, & est realiter convertibile cum illa. Accidens porrò est, cui sine subiecti corruptione abesse à subiecto conceditur. 2. Æquivoca in ratione æquivocorum sunt univoca. Æquivocationem in mente admittere abhorremus. Datur medium inter univoca & æquivoca, quod analogum appellatur.

V.

1. **S**ignum aliud naturale, aliud ad placitum: Hoc constituitur partim intrinsecè à re significante, partim à Voluntate instituentium nondum retractata: quale signum sunt voces & scripturæ Grammaticales, quarum illæ res immedietà, concept⁹ medietà, hæc immedietà voces, medietà res, picturæ verò reliquæ res significant immedietà. 2. Veritatis formalis, ut & falsitatis essentia est non modò actus, verùm & Obiectum actui conforme vel disiforme: unde nullus actus (si supra semetipsum se se reflectentem demoperis) habet sibi adæquatè intrinsecam veritatem. Actus semel verus, falsus subinde fieri non potest.

VI.

1. **L**icet actibus supra naturam elevatis veritatem radicalem inesse supponamus, naturalibus tamen ea non competit. Actus autem Hominem possibilem asserens, non magis dependet ab hominis possibilitate, quam actus hominem existentem asserens pendeat ab ejusdem existentia. 2. Licet actus falsior alter altero esse queat, verior tamen vero esse non potest. Propositiones quas vocant de futuris contingentibus, tam conditionatè, quam absolutè futuris, semper determinatè veræ sunt vel fallæ. Veritatis porrò & falsitatis capax præter judicium & discursum, est apprehensio complexa, minimè verò incomplexa.

VII.

1. **S**yllogismus formalis pluribus constat actibus, Virtualis uno tantum. Præmissæ moraliter solùm influunt in Conclusionem, cui in actu secundo talem esse, est partim extrinsecum à Decreto D E I volentis dependenter ab his præmissis concurrere, & in hoc (licet ea etiam præmissarum objectum

objectum attingat) à virtuali differt syllogismo; quod si præmissis quantumvis probabilitibus assensus fueris, hoc ipso ad illationem, etiam quoad exercitium necessitaris. 2. Enthymema cùm in mente seu ratione non detur, à Logicâ ad Rhetoricen ablegamus.

VIII.

1. Demonstratio perfectissima est, quæ primam Subiecti passionem ex essentiâ demonstrat, Perfectæ sunt aliæ omnes, modò evidentem è præmissis evidentibus inferant Conclusionem. Primarius demonstratio-nis effectus est scientia, hæc alia est actualis, alia habitualis. Quælibet unitatem suam desumit ab unitate Obiecti attributionis. 2. Potest in eodem Intellectu actus scientiæ tam abstractivæ, quam intuitivæ cum actu Opinionis & Fidei componi. Imò non repugnat etiam naturæ viri-bus actus unicus, qui sit Opinionis, Fidei, & Scientiæ abstractivæ: non item intuitivæ.

PARADOXA

- I. De omni re scibili vult Logica discurrere, nullam cognoscere; an hoc Philosophia rationalis?
- II. Nostram quæ practico-speculativa est, Logicam, non immitto Domum Martæ dicens, in qua praxis cum Martha turbatur erga plurima, Speculatio cum MARIA in actu unicè conquiescit.
- III. Qno plus quis affirmanti negat, hoc minus contradicit.
- IV. Labyrinthus Logici est medijs termini reperiundi ratio, hoc te facilius non expedieris, quam aucto Resolutionis Filo in Mathematis usurpato.

EX OCTO LIBRIS PHYSICORUM.

I.

1. TRIA sunt Principia Corporis naturalis in fieri, Privatio, materia, & for-ma; in facto esse duo, materia & forma. Privatio principiat per ultimum sui esse. 2. Datur materia prima distincta ab Elementis. Est in-generabilis. Non existit per existentiam formæ: est pura potentia.

II.

1. REMota materiæ potentia ad recipiendas formas non distinguitur re-aliter à materia. Formas semel corruptas non appetit materia, quia hæ nequeūt naturaliter reproducere. 2. Materia prima non pendet essentiali-ter à forma substantiali, sed solùm naturaliter à posteriori. Conservatio materiæ sine forma est miraculosa quoad modum, non verò quoad sub-stantiam. Probabilius est omnes materias tam sublunares quam Cœlestes esse ejusdem speciei.

III.

1. DATUR Forma substantialis. Non est tota Essentia compositi. V-nius speciei in omnibus compositis Formam materialem, quam Spiriti-um Mundi vocant, admittere nolumus, per quæ non vitatur, sed augetur entium multiplicitas. 2. Non possunt in eodem subiecto plures esse for-mæ totales substantiales. Dantur Formæ partiales, Forma Cadaveris nulla.

IV.

1. **U**nus Substantialis non consistit in præsentia locali & dispositionibus, non in sympathia Formæ erga certum corpus, non in Decreto DEI. Est igitur entitas modalis ab extremis distincta. 2. Actio eductiva distinguitur realiter ab Vnione, quæ recipitur in utroq; extremo, in materia quidem tanquam in subiecto educationis, in Forma verò tanquam in subiecto receptionis. Compositum non distinguitur à partibus simul sumptis. Quantitas distinguitur à materia, in illa recipiuntur accidentia communia. Non implicat Corpus simplex completem non constans materiâ & formâ.

V.

1. **N**atura est principium motûs & quietis ejus in quo est primò & per se, & non secundùm accidens. Forma artificialis præter Vbicationes partium artefacti involuit etiam carentiam partium superfluarum: In aliqibus tamen artefactis durationes etiam involventur. Datur Ars non tantùm metalla quævis in se mutuò transmutandi, sed & ipsum Aurum conficiendi. Divinatio verò auri per corylum, nobis implicitam redolere videtur Cacomagiam.

VI.

1. **M**ira est virtus magnetis. Hæc alitur pañio purpureo, vel si scobe chalybeâ sepeliatur congruo situ versus polos: Deperdetur, si vitro Moscovitico contegatur, aut nimio æstui solis, vel aëris humiditati exponatur.

Quòd autem Magnetis vis allio vel adamante deperdatur, quam hircinus sanguis, in quo maceratus sit magnes, restituat, merum fragmentum esse comprobatum est. 2. Magnetis poli sunt duo quædam puncta è diametro sibi opposita, quæ non Cœli, sed Terræ polis trahuntur. Vis traxiva magnetis unius præ alio, librâ expendi potest.

VII.

1. **I**dem ferri punctum persistens in eodem spacijs puncto potest eandem linguulae magneticæ partem trahere & repellere. Proprietas magnetis est Inclinatio & Declinatio. Sub Aequatore Inclinatio nulla est, quòd autem proprius polum Terræ accesseris, eò majorem Inclinationem experiri: ex quo Terræ rotunditas comprobatur. 2. Inclinatio magneticæ Pragæ est gr: 73. m. 28. Olomutij gr: 72. 55. Declinatio varijs in locis irregulariter variat. Pragæ declinat magnes 5. gr: 30 m. Olomutij 2. gr: 30. m. In compassis Declinatio accuratè observâda, nè in linea meridianâ inventandâ fallaris.

Causa

VIII.

I. **C**AUSA est Principium influens producendo essentiam. Conceptus Causæ in actu primo Physico remoto non constituitur per actionem possibilem. Tam causa creata quām increata dicit Ordinem transcendentalē ad suos effectus. 2. Existētia Causæ requirētū ad agendum. Omnis Causa est prior suo effectu. Non datur propria actio in distans.

Non reqviritur, ut approximatio Causæ cum passo sit pro priori ante operationem.

IX.

I. **R**epugnat duas Causas Physicas se mutuo causare qvoad primū esse, sive sint in eodē genere Causæ, sive in diverso. Datur inter duas causas mutua causalitas qvoad secundum esse. Non potest idem seipsum prīmō producere: potest tamen dare divinitus sibi secundum esse. 2. Idem effectus non potest pendere à duabus Causis totalibus Physicè influentibus, potest tamen divinitus. Conservatio non differt in sua entitate necessariò & intrinsecè à prima productione, sed solūm extrinsecè.

X.

I. **C**AUSA materialis sustentativa est principium præjacens per se influens in alterum, cum quo uniri postulat. Datur defacto talis causa materialis. Actio & passio est eadem entitas realiter. 2. Causa formalis est id quod componit totum cum comparte præiacente, in qua intrinsecè recipitur. Primari⁹ ejus effectus est compositum, secundari⁹ expulsio formæ præexistentis. Causa exemplaris est id, in quod inspiciens artifex operatur. Tam in DEO, quām in Creaturis exemplar est objectum cognitum, non verò cognitio.

XI.

I. **C**AUSA finalis est id, cui⁹ gratiā aliquid fit. Finis ali⁹ est Qui, ali⁹ Cui. Objectum movet me ut quod, non ipsa cognitio. Effectus causa finalis ea lunt, ad quæ ponenda movet me finis, mediante cognitione sui. 2. Causalitas causa finalis involvit essentialiter ipsam actionem physicam factam dependenter ab hac numero cognitione, ubi necessariò includit etiam decretum DEI. Bruta non agunt propriè propter finem.

XII.

I. **C**AUSAM efficientem aliqui Recentiores definiūt: Est principium per se influens in aliud sine mutatione sui ex præcisa ratione sui influxū.

Nos Aristotelicæ definitioni melius adhæremus. Est id, unde principium primum mutationis & quietis. 2. Actio tam DEI, quām creaturæ, non est decretum Diuinum, neq; ulla negatio, sed, nemera verba assignētur, est modus distinctus à causa & effectu. Actio DEI & Creaturæ est eadem: quare actio causa primæ, quā talis, identificatur ipsi effectui.

XIII.

1. **D**ari Causam primam, non tantum fides Divina, sed & ratio naturalis evincit: influit immediate in omnes effectus Causarum secundarum. Non potest à le abdicare munus Causæ primæ, non est Causa moralis peccati, sed neq; Physica per se, est autem solum per accidens. 2. Causæ secundæ necessariæ determinantur à DEO ad individuum positivè, liberæ autem solum negativè. Concursus generalis DEI in actu primo non potest pro Causis liberis consistere in prædeterminatione Thomistarū, aut prædefinitione Scotistarum. Decretum igitur pro Causis liberis, est Voluntas indifferens & inefficax, & quasi conditionata ad bonum vel malum, aut carentiam utriusque.

XIV.

1. **C**ausæ secundæ verè aliquid efficiunt. Accidentia non producunt se solis substantiam. Imò neq; sunt causæ partiales substantiæ. Fatum est inhærens rebus mobilibus immobilis dispositio, per quam Divina Providentia suis qvæq; nequit ordinibus. 2. Motus est actus entis in potentia prout in potentia. Motus localis celerior ille est, qui certa mensurâ motus realis, vel imaginarij maius percurrit spatium loci. Idem motibus contrarijs moveri non potest. Qvies est persistentia in termino acquisito.

XV.

1. **L**ocus est superficies concava corporis ambientis immobilis. Spatium verò imaginarium est purum ens rationis fictum ab intellectu ex similitudine cum spatio reali; & in ordine ad hoc spatium fictum, explicamus differentias Vbicationum. Deus est in spatijs imaginarijs.

Nequit res existere nullibi. Neq; corpora naturaliter se penetrare possunt. 2. Corpus divinitus replicatum non potest naturaliter plus ponderis ferre in duobus, quam uno loco. Imò nec absolutè idem hic amare, & alibi simul odiisse. Vbicatio est qualitas absoluta, cum hic non urgeat processus in infinitum, ut ingeniosè advertit Arriaga. Vacuum nullâ vi naturali in mundum induci potest, quod frustra recens de hydrargyro experientia probare contendit: In quo etsi divinitus motus fieret, non fieret tamen in instanti.

XVI.

1. **T**empus est numerus motus secundum prius & posterius. Reale est mensura æquabilis motus Cœlorum: Imaginarium est quid fictum per modum motus alicujus fixi conceptum. DEUS existit in tempore imaginario. Repugnat Creaturam absolui ab omni duratione. Hæc verò est qualitas absoluta propter communem cum Vbicatione rationem.

2. Infinitum est, cujus aliquid semper est extra. Et hoc syncategoremati.

maticum, seu in potentia dicitur, datūrq;. At verò infinitum Categoricalicum seu totum actu, neq; in numero aut magnitudine, neq; in intentione possibile afferimus, solūmque DEVM in essentia infinitum veneramur. Infinitum terminis claudi non potest. Neq; unum possibile, est maius altero. Nolumus D E O limites ponere afferendo possibilem esse Creaturam aliquam omnium perfectissimam, aut imperfectissimam.

XVII.

1. **Z**enonis de Continuo sententiam, tanquam scopulum, in quo omnes scientiae naufragium faciunt remis, velisq; fugimus; Hac enim positâ tota Geometria evertetur, celerrimus Cursor testudinem non assequetur, Nanus æquabitur Gyganti, Sol Terram non illuminabit, Moravia contamina erit Iaponiæ, & nullus aurigarum Currus Olomutium pervenire poterit. Sed neq; ulla puncta, seu terminantia seu continuantia, admittimus: Superficies verò, lineæ, & puncta, sunt Corporum certo modo consideratorū non ulteriores extensiones. Sic etiam hora finitur negatione ulterioris extensionis, aut actuali, aut possibili. 2. Ne partem æqualem toti, numerum finitum maximum, & mera in Continuo puncta admittere cogamus, statuimus cum Aristotele, Divo Damasceno, Divo Thoma, Divo Augustino, plurimisq; alijs Philosophiæ, & Geometriæ Luminibus, meras in Continuo partes, easq; non actu, sed potestate: & proportionales quidem numero non definitas inexistere; quam sententiam præter Veteres Peripateticos, Divus Thomas 8. Phy. textu 68. Aegidius, Capreolus, Ferrara, Fonseca, Pererius, Aureolus, Albertinus, Fasolus, Tanner, Gregorius à Sancto Vincentio, multiq; ve alij Docti Viri, & de re literaria, ut ait Comptonus, optimè meriti, amplexi sunt.

- IMPERTINENTIA,
1. Vinum turbidam intra horæ spatium clatificatur hac ratione, si videlicet in vase magno pendulam nucem muscatam comburas, & ea consumptā vinum in illud vas infundas. Nam brevi aureum ducet colorem.
 2. Vinum in æstate infrigidabis, si posueris vase in labro frigidâ aquâ oppletu: dein Sal-petræ aut nitrum aquâ insperferis, tantam cuim frigiditatem vinum concipiet, ut vix dentes ferre possint.
 3. Siquis à puppi versus proram Sagittam arcu ejiceret, eadem celeritate, quâ navis moveretur, Sagitta perpetuò hæceret iuxta arcum in æste, quemvis tamen occurrentem, qui à navis non raperetur, transfigeret. Hoc tamen verum est, si Sagittam in supermitate navis eiaculaferis. Nam si eadem celeritate, quâ prius, intra navis cubiculum clausum, sagittam ejeceris, volabit illa ad proram perinde atq; si navis non moveretur.
 4. Possimus ex altitudine hominis demittere molarem lapidem non imprimento ei ullum impulsu, qui solum aërem levando conficiat etiam unum milliare, prius, quam illam altitudinem cadendo mensuret.
 - PARADOXA 5. Possunt uno ducato non tot quin plures Cœli inaurari, licet ille non replicetur. Ad eoq; datur de facto corpus quantum, continens potentia infinitas partes, non communicantes, uni certa æquales, quod tamen non sit infinita extensionis.
 6. Potest alicui quantitat in æternum semper aliquid addi, composita tamen magnitudo non excederet duplex primæ, licet per impossibile æternitas finiretur.
 7. Potest spatio, quod pes pulicis in plano occupat, æquale dari spatiu, cuius ambitus Cœli excedat ambitum.
 8. Assignabimus volenti punctum, in quo Achilles & testudo se assequentur, quantavis hæc tarditate, & ille velocitate, moveantur.

EX LIBRIS DE MUNDO ET COELO.

I.

1. **M**undus non fuit ab æterno. Verno tempore productus est; non tamen in principio Arietis. Implicat Creatura tam permanens, quam

successiva, qvæ potuerit esse Deo coæva, sive nunquam incepisse existere. Hoc tamen sensu potuit creatura creari ab æterno, qvòd nullum scilicet sit assignabile instans in æternitate à parte ante, quo priùs non potuisset creari illa creatura. 2. Sed neq; potuit D E V S singulis instantibus collectivè acceptis, aliquam creaturam producere, licet ea non durasset infinito tempore: nam si id fecisset, non videm⁹, qvomodo initium æternitatis datum non fuisset. Si vera est prophetia Malachiæ Archiepiscopi Hiberniæ, coniecuram haberemus, Mundi consummationem ultra annum Christi 2000. non differendam.

II.

1. **C**OElorum usq; ad firmamētū liquiditatē Martia terræ vicinitas ostendit. Non plures tribus agnoscimus. Eoruī motus contrarij per spirales lineas, & respectivam tarditatem possunt explicari. Longitudo Olomucensis, seu distantia Meridiani circuli à Meridiano Fortunatarū Insularum, est gr: 41. 30. Pragensis gr: 39. 15. Latitudo verò Olomucensis, quæ Elevationi poli æquatur, est gr: 49.30. Pragæ 50. 10. Planetæ & firmamentum ab Intelligentijs moventur. 2. Maculæ Solis per stellarum Solem subeuntium obumbrationem explicari possunt. Sol terræ propinquior est in hyeme, quàm æstate. Eius media distantia à superficie terræ est juxta Tychonem, milliarium Germ: 988140. Semidiameter Solis est milliarium ger: 4602. hinc sol terrâ major est 166 $\frac{1}{2}$. Vno horæ minuto Sol percurrit millaria ger: 2950. Vnâ horâ plus percurrit spatij, quàm Luna 20. horis.

III.

1. **L**unæ diameter est mill: ger: 413. terra igitur major est quàm Luna, fere 40. quia Semidiameter terræ est mill: ger: 860. Novilunia Ecclesiastica ex Calendario Breviarij cuiusvis cognosci possunt: illis enim diebus fiunt, quibus præfixa est Epacta Anni currentis: Sed verum Novilunium uno circiter die citi⁹ peragitur. Terra major est Venere, 6. Venus non discedit à Sole ultra 47. gr. habet suas phases, ut Luna. Mercurius non facilè observatur, nisi in Mensē Majo: tunc enim perigæus versatur in principio Geminorum, & magis à Sole recedit; aliàs ejus splendore occultatur. Maxima ejus remotio à Sole est gr: 28. Luna ad Mercurium est ut 19. ad 1. 2. Mars à centro terræ mediâ distantia elongatur mill. ger: 1500700. terra relata ad Martem est ut 13. ad 1. Est rufus. Visus est figuræ triangularis. Jupiter à terra distat mediocri distantia semid: terræ 3990. terra habet se ad Jovem ut 1. ad 14. is argenteo fulget lumine.

IV.

1. **S**aturni soliditas habet se ad terram ut 22. ad 1. Eius media distantia à centro Terræ est semid: terræ 10550. Velocissimus est Planetaryrum

rum, lucis plumbeæ. Stella fixa quæcunq; in Aeqvatore, spacio unius pulsus arteriæ, conficit motu diurno mill: Germ: 874. Distantia Fixarum à Terra est mill: Germ: 1204000. Si lapis molaris inde caderet, & quod horis 50. millaria Germanica conficeret, ante 27. annos terram non contingeret. Vnus Gradus Firmamenti est mill: 210222. quare stellæ primæ magnitudinis sunt majores terrâ, 107. sextæ verò seu minimæ, 18. 2. Cœlestia Corpora non influunt directè in animam, sed solum indirectè, absq; ulla præjudicio libertatis humanæ. Nunquam fit Eclipsis Solis, nisi in Novilunio. Quare Eclipsis Christo patiente non fuit naturalis. Tota lis Eclipsis Solis obubrat spacium terræ circulare, cuius diameter est milliarium 290.

PARAD.

1. Pulsus arteriæ commode minutum 2. designat.
2. Semper nobis otitur prius sol, quam oriatur.
3. Sol in Luna per reflexionem videtur.

EX LIB: DE GENERATIONE.

I.

1. Generatio Aristoteli est mutatio totius in totum nullo sensibili manente ut subiecto eodem. Alij breviūs, & ad Christiana principia conformius definiunt: Est productio entis ex subiecto. Generatio novæ formæ est prior corruptione antiquæ. Ad Conversionem essentialiter requiritur omnimoda desitio termini formalis à quo, & nova productio termini formalis ad quem: Corruptione est desitio unius rei in aliam. Annihilation in nihilum. 2. Unionem Substantialem in viventibus partialiter Anima Matri, partialiter forma prolis producit. Formam prolis totalem materialem efficit mater. In oviparis varie discurrendum. Nutritio est partialis quædam viventis generatio, quæ alimentum introsusceptum convertitur in Substantiam aliti.

II.

1. Augmentatio de se est motus Continuus, licet per accidens subinde interrupatur: Imo nullus motus, ne localis quidem, morulis indiget. Augmentatio tam viventium, quam non viventium, prius indeterminatam, quam determinatam partem occupat. Secus est de generatione prima Formæ Viventis, quæ requirit determinatam materiæ partem.

2. Intensio qualitatum fit per gradus homogeneos. Simile non agit in Simile actione corruptivæ, sed perfectivæ. Idem seipsum per reflexionem intendere potest. Datur Antiperistasis: sed non in calce, propter frigus affusæ aquæ. In stomacho tempore hyberno non est propria antiperistasis, quamvis calidior sit, quam æstate. Propria verò optimè probatur per vitrum Thermoscopij. Datur Reactio formalis & activa. Rarefactionem non intromissio Corpusculorum, cum vacuitates, non evolutio penetra-

penetratarum partium, non deniq; punctorum materiae inflatio bene explicant; Sentimus ergo cum Suario & alijs 14. Classicis Authorib; rarefactionem consistere in majori extensione seu ubicatione ejusdem materiae; Condensationem verò in redactione ejusdem materiae ad minorem locum, qvod fit formaliter per minorem ubicationem productam.

III.

1. **Q**uaternarium Elementorum cum Aristotele admittimus. Quatuor primæ qualitates & inter se & à substantijs distinguuntur, neq; solum negativè, verum realiter & positivè. Calor elementaris non differt specie ab animali, & cœlesti. Elementa non manent formaliter in mixto.

Tam in se qvām in mixta transmutantur. Optimum pro ingenio temperamentum est cholericō-melancholicum. Elementa non gravitant actu in suis locis : nec partes homogeneæ premuntur à superioribus.

2. Pro innatantibus humido seqventes damus regulas cum hydrostaticis
I. Corpus levius demissum in humidum, usq; eo demergetur, ut tanta moles humili, quanta est partis demersæ, eandem, quam tota corporis magnitudo, habeat gravitatem. II. Corpus humido gravius in specie demissum in humidum, fundum petet eritq; in humido tanto levius, quanta est gravitas humili molem habentis corpori illi æqualem. Levitas non consistit in privatione majoris gravitatis.

IV.

1. **G**ravia in descensu acquirunt majorem velocitatem. Crescit autem Gea velocitas juxta numeros pariter impares ab Unitate numerabiles, I. 3. 5. 7. 9. II. &c. Qvare si globus cretaceus unciarum octo hanc in labendo incrementi velocitatis proportionem servaret, non integris tribus horis distantiam Lunarem à terra emetiretur. Non omnia gravia æqvæ citò cadūt, quod adeo multis experimentis comprobatur est, ut mirum sit aliquos contrarium sentire potuisse. 2. Quantum est ex natura reflexionis, non est necesse, ut in puncto reflexionis pausa fiat. Motum perpetuum invenit nemo; sed neq; possibilem demonstravit. Si mobile uniforme quotidie conficiat millaria Italica 1000. perveniet ad terrā à Luna diebus 265. à Sole annis 87. diebus 231. à Marte annis 238. diebus 10. à fixis annis 23-819. diebus 70. At verò si proportionem incrementi velocitatis, quæ est in naturali descensu, servaverit, tum globus ferreus unius libræ labendo ex Luna non tres horas, ex Sole non 12. horas, ex fixis non duos dies consumet.

PARADOXA

1. Poteſt impulsus versus Orientem inesse Subiecto lato versus Occidentem.
2. Omnes vibrationes ejusdem perpendiculariſ sunt ad sensum æquidiuturnæ, seu isochronæ.
3. Poteſt aer in centrum rarefieri naturaliter.
4. Tanta est evaporationum ubiq; copia, ut homo ui concoctionis nutritivæ per unam noctem ultra 4 libras pondere Medico expiret.

EX

EX METEORIS.

I.

Cometæ alij sunt sub, alij superlunares. Illi fiunt ab accensis exhalationibus : hi ab errati corum siderum, signatim invisibilium, unum tamen optice sidus conscientium concursu.

Cur enim non detur ignotus nobis cursus Planetarum minorum, qui à se divergentes solvant cometæ apparentiam ? Hinc etiam maculæ solares explicari possunt per subeentes cometas parvos, qvi omnem regularitatem irregularēm à Schainero observatam in maculis, in suo motu servare possunt : certe Comites Jovis & Laterones Saturni mirabiliter incedunt. 2. Qvam procul à te distet nubes, in qua tonitru aut fulmen oritur, hac assequeris ratione : Cum bombarda eminus exploditur, numera vibrationes alicujus perpendiculari, quæ fiunt inter visam flammam, & auditum sonum. Hunc numerum tibi serva, similiq; distantiam à bombardâ habe cognitam.

Orta deinde tempestate, & visâ corruscatione, numera vibrationes perpendiculari usq; ad auditum tonitru, & dic ; ut numerus oscillationum ad distantiam bombardæ, ita numerus oscillationum, seu vibrationum ultimarum ad aliud : hoc erit distantia illius nubis à terra.

II.

Materia pulveris pyrij, & Spirituum in fornaculis Chymicorum inter se pugnantium, vehementer materiam tonitru & fulminis illustravit : Nam si oleum Tartari auro soluto aquâ regiâ guttatum infundatur, murmur ingens exauditur. Item si Spiritus Vitrioli, Spiritus sulphuris & sal hederæ terrestris confunduntur, murmur magnum auditur : ratio deniq; patet, cur fulmen in superiora petat ; idem enim facit fulmen artificiosum. Nam si aurum in calcem redigatur aquâ forti, sale armoniaco, & oleo tartari præcipitati, iste aureus puluis alicui laminæ impositus, & ex remoto loco, ope instrumenti alicuius, propter periculum, succensus, non alta petet, sed laminâ perforata cum ingenti fragore & sonitu in inferiora loca labetur, & sic Jovem non auro pluvium, sed tonantem imitabitur. 2. Stella cadens, quæ est exhalatio pinguis in lineam rectam sursum disposita, ideo à superiori parte acceditur, quod inibi sit rarer materia pinguis. Ita cū extincta candela per suum fumum ab altera superiori acceditur, videtur ignis currere deorsum, cum tamen non sit nisi succissiva combustio materiæ sumi.

III.

Aetheria ovalis figuræ. Nubes primæ ordinariè ad 400. & 500. passus elevantur à nobis. Ultimas ad 4. saltum milliaria Italica ascendere Aethna nivoso vertice candidans comprobant, quæ montem Schnellius 4. Italicas serè altum demonstrat. Ex his primæ & secundæ regionis aëris altitudo liquet. Tertiæ autem regionis aut ætheris altitudo constat ex diæmetris celorum. Hoc sufficiat scire, juxta Tychonem, distantiam fixarum à terra esse 1.000. Semidiæmeterorum terræ. In Zonis temperatis, qualem nos incolimus, crepuscula incipiunt aut desinunt sole ad 18. gradus circiter infra horizontem depresso. Ex quo Nonius concludit summos à terra vapores removeti ad. 43. Italica. Iuxta Alhazen & Vitellonem ad 52. Italica.

2. Hic sub initium Aprilis & finem Septemboris durant crepuscula circiter duabus horis ante ortum & post occasum. Sub initium Maij & finem Angusti duabus horis & mediâ. Sub initium Junij & finem Julij tribus horis & mediâ. Circa finem Junij penè durant 4 horis. Rursum sub initium Octobris & finem Martij, non integris duabus horis. Sub initium Novemboris & finem Februarii paulo amplius. Deniq; sub initium Decemboris & finem Ianuarij duabus horis, & uno altrore minuto.

IV.

Nix fovent semina rerum, prohibendo evaporationem nimiam, & quia nivibus spiritus salini admixti sunt, qvi dant secunditatem. Est figuræ Sexangulari, qvæ figura est omnium regularium figurarum, qvæ spaciū implere possint suis angulis circa idem punctum, capacissima. Ventus est aër localiter motus, cuius motus causa est rarefactio aut condensatio : Sunt autem stabiles multi venti, eò qvod gyratione Solis circa terram regulam suam servet, à qua stabilitis rarefactio. Qvod alter frigidior aut salubrior sit altero, facit ejus transitus per salubiores aut frigidiores terras. 2. Iridis colores oriuntur ex varia specierum luminosi cum colorati spectibus mixtura. Secundaria Iris non sit per reflexionem à primaria. Possumus plenè circularem Irudem unius aut plurium colorum efformare.

V.

Superficies aquarum liberè quiescentium globosa est, centrum habens idem quod terra ipsum Universi medium, cui non obstat varia & diversa gutterarum rotunditas iqvare in craterem plus intrat aquæ in valle, qvam in mōte. Sed hæc protuberātia insensibilis est. Ut aqua altissime exiliat è canali, ejus foramen tantæ latitudinis esse debet, qvanta habet ipsius liquoris gutta, qvando

do è digito sponte delapsura dependet. Mare non est altius littoribus, sed contrà. Possimus dato globo rectilineum corpus æquale per aquam exhibere. 2. Mare plurimum animalium ferax, quam Terra. Ad hanc fecunditatem plurimum confert Sal marinus. Facilius est natare in marina, quam fluviatili. Sal est duplo ponderosior, quam aqua, vel ut 19. ad 9. non nisi 17 à. parte totius molis, quam habet navis infra aquam, minus merguntur naves in mari, quam in flumine. Aestus marini principales causæ sunt Sol & Luna : In Novilunio & Plenilunio maximè insolescunt : triplex aestus datur, Annuus, quo Mare ex Austro in Boream, & contrà tendit. Mensruus, qui incrementa & decrementa Lunæ seqvitur : Diurnus, quo 24. horarum spacio bis fluit & refluit. Pro fluvij deducendis post 1000. passus uno pede sit demissior alveus est necesse. Fontes naturales nunquam altius educi possunt ullo canaliculum artificio, quam fuerit ipsa origo, alias haberemus motum perpetuum.

VI.

1. **A**ltissimus Montium Pariacaca in Peru 12. mill: Italica dicitur habere in perpendiculari. Imo dato aliquem montem altum esse 12. mill: Germ: tamen non esset tantus respectu Terræ, quam minima verruca respectu capitis humani. Non igitur obstat rotunditati morali Terræ, montium & vallium asperitas. Ex altitudine 6. pedum solum ad distantiam 3. 1/2 mill. Italica. Ex altitudine autem 8. mill: Ital: potest videri ad 58. mill: Germ: Si Elementa in vitro confusa ad spacia imaginaria transferantur, fundabunt ibi novum centrum illius microcosmi; quare in vacuo motus corporum naturalis fieri non potest. 2. Si linea directionis per sustentaculum transeat, corpus à ruina immune erit : lineam directionis vocamus, quæ à centro Universi educta, transit per centrum gravitatis. In superficie Terræ nunquam tanta sit ponderum transpositio, ob quam notabiliter Terra fluctuet. Aquæ, medium circiter superficiem Terræ, occupant : Corpus tamen aquæ ne quidem trecentesimam partem soliditatis Terræ constituit, licet omnium terrestrium aquarum molem ad 7. millaria Italica profundam faciamus, cum tamen vix uspiam profunditas maris unum milliare Italicum excedat.

FARADOXA.

1. Tempore pluvio ac hyeme, res majores apparent, quam estate,
2. Nix non est alba
3. Possimus gradus caloris aut frigoris oculis discernere.
4. Circuli Quadraturam per aquam Geometricè exhibere possimus.
5. Si quis Orbem terræ semel circumiret, unum diem lucaretur, vel perderet; hoc fieret, si Occidentem, illud, si Orientem versus pergeret.
6. Implicat medium Terram videri ex quantavis in infinitum altitudine. Quare per impesturam Dæmon omnia Regna Mundi Christo ostendit.
7. Ad saltum unius pulicis necesse est totam Terram dimoveri, licet nullo à nobis producibili impetu moveatur.
8. Brachium extensum plus gravitat quam contractum.

PROBLEMA

An verum illud : Centrum Iridis, oculi, & Solis necessariò debere esse in eadem recta linea, & angulum, sub quo videtur Iris, esse semirectum?

EX ANIMASTICA.

I.

1. **A**nima est actus primus Corporis physici & Organici potentia vitam habentis. Est actus informans, & non tantum assistens. Dividitur in Vegetativam, Sensitivam, & Rationalem.

Non sunt plures animæ in eodem subiecto. Omnia individua animata ejusdem speciei sunt de facto quoad perfectionem æqualia. 2. Partes solidæ, ut caro, ossa, nervi &c. animantur.

Item quæ non sunt puræ excrementicæ, sed vel ad ornatum, vel ad tutamentum viventis datae sunt, ut plumæ, pili, ungues, unguilæ, dentes. Sed & partes fluidæ, si pura reiectamenta excipiās, totali viventis animâ informantur. Quare etiam Sangvinem animamus.

II.

1. **A**nimæ plantarum & brutorum tam perfectorum quam imperfectorum sunt divisibilis in partes integrantes. Ex autem partes sunt probabiliter homogeneæ, cum nulla necessitas heterogeneitatem evincat. 2. Ratio spiritus consistit in substantia carente partibus integrantibus : Corporis autem, in Substantia habente partes integrales. Accidentia vero Spiritualia vel materialia erunt, prout Spiritui vel corpori commensurantur.

III.

1. **N**on sentimus cum ijs, qui omne ens spirituale, sive illud sit Substantia, sive accidens, carere partibus integrantibus docent. Nam defacto multa accidentia sunt divisibilia in partes integrantes, quamvis sint Spiritualia. Non posse dari conceptum Univocum Viventis ut sic,

qui abstrahat à Vita Physica & Intentionali, probabilitè docent Recentiores. Nobis tamen cu^m Comptono magis placent Veteres, qui probabiliter talem conceptum Vitæ Vniuersitatem conantur exhibere: Scilicet habere perfectionem ita ab intrinseco, ut saltem naturaliter ab extrinseco eis res habere non possit. Ex quo bene sequitur, implicare creaturam, quæ sit sua intellectio. 2. Potentia non distinguntur realiter ab anima. Vato autem eas distingvi, anima nihilominus ad actus suos coinfluet immediatè. Actus materiales in homine sustentantur à materia, partialiter autem immediate recipiuntur in anima Spirituali, ut in subiecto puræ receptionis.

V.

1. **D**antur species in sensibus externis, pura in Visu & Auditu. Sonus est quid distinctum ab impulsu movente tympanū. Neq; sonus est productivus Soni. Neutrae species habent contrarium. Albedo & nigredo optice, non physicè, sunt contraria. Species visus non videntur ut Quid, sed ut Quod; unde receptæ in charta, solum in unam partem radiant juxta leges reflexionis; quæ assertio salvis principijs & experientijs Opticæ defendi potest. Ex qvilibet vitri convexi occultato puncto tota transmissa in chartam pictura obfuscatur absq; ejusdem mutatione, seu in quantitate, seu in figura. 2. Non dantur species in odoratu, gustu, & tactu: neq; odor odoris est productivus. Ut sentiat calorem tactus, necesse non est calorem uniri organo. Non probatur nobis Recentiorum qvorundam sententia, quæ affirmat Vbicationem & Durationem videri, audiri, tangi, olfieri. Visio fit receptione radiorum in retina. Unica fit decussatio radiorum in oculo: quare imago inversa depingetur, qvod non obstat rectæ visioni.

V.

1. **Q**uicavis utuntur specillis, convexiore humorē crystallinū habent, secus est de Sensibus amblyopibus. Visionem ocularem intromissio specierum in obscurum cubiculum, & sequentes regulæ plurimum declarant. 1. Omne vitrum convexum, qvō est minoris Sphaerae Segmentum, eo etiam minus communis omnium conorum basis, id est locus imaginis, à vitro distat. 2. Omne vitrum qvō minus est convexum, eo longius proiecit basin distinctionis. 3. In omni vitro convexo, quæ remotiora sunt obiecta, basin distinctionis abbreviant: qvō propiora sunt, eo amplius prolongant. 4. Minus convexum magis convexo additum, abbreviat basin communem, & è contra. 5. Concavum convexo additum prolongat basin. 2. Audito perficitur in tympano. Odoratio in processibus mamillaribus. Gustatio in nervosa præsertim linguae parte. Tactus non habet speciale organum. Phantasia & Intellectus habet suas species, quæ ut operantur, indigent excitatione. Species inflans in apprehensionem, eadem sufficit ad producendum judicium. Intellectus cognoscit entia Spiritualia per species improprias. Repugnat potentia materialis cognoscitiva rei Spiritualis.

VI.

1. **A**niam rationalem Spiritualem, & immortalem ex sua natura esse, non tantum Fide Divina, sed & rationibus naturalibus ostendimus: caret partibus essentialibus & integralibus; à DEO solo creatorum, cum jam formatum est certæ magnitudinis corpusculum. Non datur metempsychosis Pythagorica. 2. Non possū assentiri simul & dissentiri eidem obiecto. Non implicat cognitio supra seipsum reflexa.

VII.

1. **V**oluntas est potentia libera, non potest amare malum quā tale cognitum, nec ferri in incognitum: Potest odire malum nūl tum amando. Non datur amor efficax ad impossibile, neq; amor & odium efficaces stare simul possunt de eodem obiecto. Non implicat pura omissione libera. 2. Actus imperatus non habet immediatā libertatem. Anima separata naturaliter existit: habet species à DEO infusas rerum plurium: se tamen immediate cognoscit.

VIII.

1. **H**abitus est qualitas permanens, facilitans potentiam ad actus similes ijs, à quibus genita est. Non dantur in Intellectu habitus distincti à speciebus. In voluntate autem non possunt salvari per cognitiones experimentales, non per actuum præteritionem, itaq; admittenda est qualitas distincta. 2. Potest DEVS per absolutam potentiam necessariæ potentia dare habitum quantum ex se facilitantem, & inclinan tem eam ad elicendos actus. Non dantur habitus in sensibus externis, neq; in potentia locomotiva, Phantasia, & appetitu sensitivo. Probabile est defacto habitum produci partialiter à potentia, partialiter ab actu; pereunte actu, habitus conservatur à sola potentia, cum generali concursu DEI.

Probabile

IX.

Probabile est per actum remississimum nullum produci habitum; sed neq; contrarie sententiae sua probabilitas deest, ut vix discerni possit, utra major sit. Actus non possunt intendere habitum in infinitum naturaliter. 2. Habitū contrarij tolerant se in gradibus remissis, non verò in intensis naturaliter. Non repugnat autem divinitus habitus contrarios in intensis gradibus coniungi. **Licet nulla res perat sui destructionem, tamen habitus etiam solo perire otio qvid vetat?**

- PARADOXA.** 1. Clariū aliquando uno, qvām duobus oculis videri posse, anseres probant.
 2. Poteſt locus Eccl̄is reperiſti, ex qvo ipſa, qvāvis alia, qvām interrogata fuerit, lingvā, respondeat.
 3. Chorda distans, non tantum in octavam, ſed & in quintam tenſa, alteri percussa reſpondeat intacta.

EX METAPHYSICA.

I.

Ens est id, qvod potest exiſtere. Non datur Conceptus Vnivocus enti reali & rationis. Ejus proprietates numerantur 5. Res, Verum, Bonum, Aliqvid, Unum. Verum cum Suario putanius non eſſe niſi tres, nempe Unum Verum, Bonum. Prædicamentum eſt ſeries prædicatorum à ſummo genere per medias species uſq; ad indiuiduum deducēta. Decadem eorum Aristotelicam Authoritas & congrua ratio fulcit; poterant enim absolute plura, qvīn & eſſe pauciora. Conditiones locandorum in prædicamento ſoli ſubſerviunt Subſtantiae. 2. Relatio, qvæ eſt ratiō formalis, quā unum reſpicit aliud, non eſt modus aliquiſ, aut entitatula alia, fundamento, termino, & rationi fundandi ſuperaddita. Prædicamentalis Transcendentali in hoc optimè opponi videtur, qvōd illa termino, rationi fundandi, & fundamento, hæc ſoli fundamento adæquatè ſit intrinſeca.

II.

Ens à differentijs, & differentias ab ente potest abſtrahere Intellectus. Qvare Ens univocum eſt respectu DEI & Creaturæ, Subſtantiae, & Accidentis. Existentia non diſtinguitur ab eſſentia, uti nec à Possibilitate. Pura poſſibilitas involuit negationem existentiae illius rei, qvæ ſi exiſteret, non involveret contradictoria, quid autem ſit involvere contradictoria, & qvid ſit exiſtere, eſt per ſe notum, ut clariū explicari non poſſit, qvod ingenioſe advertit Arriaga. 2. Subſtantia creaṭa non addit Naturæ aliquid modaliter, aut realiter absolute & poſitivè diſtinctum. Dantur Intelligentiae, & Ens à ſe, TER MAGNUM Illud NUMEN, cui tota hæc dicata & conſecrata ſit, & maneat Philoſophia.

PARAD: **Licet DEVS ubiq; ſit, non eſt tamen in ullo prædicamento.**



Univ. Bl. München